

temus: 'Pro patribus tuis nati sunt tibi filii'.¹ Neque bimestre loci intervallum, quo Roma distamus, tantum valet, ut nos a debita unitate affectuum separet, cum in eo, qui totus ubique est, unum simus, unum habeamus caput, una perfundamur gratia, uno pane vivamus, una incedamus, una habitemus in domo. O vere beata unitas, o vere una beatitudo! Ab hoc uno dum excidimus, in hanc multitudinem miseriarum incidimus. Sed gratias unigenito Dei, qui nos a multitudine perniciosarum opinionum in unitatem fidei collegit², ex infinita vanitate in unam spem erexit, ex baratro secularis cupiditatis in unum finem lumine caritatis misit, cui fini sine fine adharebimus, cum ipse finis erit omnia in omnibus. Scaret^b animus noster in huius caritatis latitudine loquendo tecum paulo diutius deambulare, sed popularis strepitus curieque molestissimi fluctus, in quibus hæc scribes iactabamur, vix ad hæc ipsa qualiacumque respirare indulserant. Unde restat, ut orationibus lacrimisque tuis unice nos commendatos habeas, domne colende et beatissime pater. Frater Basilius, dulcissimum caritatis depositum, humilior quam humillime te salutatur, id rogans pro miro candore verecundie sue, ut litteris tuis eum nobis commendare non graveris, simplicissime id quidem ut qui omnia. Quid enim tu illum commendes, quo nichil per se ipsum est commendatius? Da veniam, pater! Vix, arbitror, quicquam momenti commendationem tuam apud nos pro eo quis credat habituram, ita penitus ipse blandissima simplicitatis sue violentia totos affectus nostros irripuit et possidet. Domnam imperatricem, immo quod longe longeque generosius est, illam Christi ancillam³ nostri nomine et totius nostræ congregationis ut devotissime in Christo salutes, impense obsecramus. Reddat illi Deus vicem benivolentie, quam nostri memoria tam benignissimo studio prosecuta est.⁴ O nobilem sanctumque illum vestrum comitatum, o luminosum primitie^c ecclesiæ speculum, o vere evangelicam curiam, o presentissimam iam nunc superne illius imaginem civitatis, cuius rex veritas, cuius

14. b) so (statt Optaret?) c. c) so (statt primitive?) c.

¹) Ps. 44, 17. ²) Diese Anspielung auf die Beilegung des Schismas muß sich auf die Stellungnahme des Bischofs Bucco von Halberstadt in Rom im Januar 1063 beziehen. ³) Anspielung auf die Ablegung der Klostersgelübde durch Agnes in Fruttuaria, vgl. MEYER VON KNONAU 1, 320.

⁴) Wie wenig auf dergleichen Redensarten zu geben ist, zeigt der Vergleich mit den Worten in n. 10: infestissimus imperatricis animus dampna nostra parva iudicat.